



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Qiod amor Dei defendit & liberat à malis, 19

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



nefandissimus peccator, multa à te petii, & nullo dignus eram: quia te non dilexi corde & opere, sed solum verbo & lingua. Quare non amore, sed odio dignus eram, pœna, & non gloria. Sed in tuo indicibili amore confido, piissime Domine Iesu Christe; te, fons inexhaustibilis amoris: quem à me obsecro non retrahas; sed illum mihi clementer concedas, quo inflammare digneris cor meum frigidum, ad amandum & diligendum te; ut sprete dilectione transitoria & caduca hujus miseræ vitæ, ad te elever per puram dilectionem in te manentem, per assiduam contemplationem, in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPVT XIX.

*Quod amor Dei defendit & liberat à malis.*

I. **F**idelis & verus amicus es, (Domine Iesu Christe, amator vigilantissime) qui diligentes te custodis, liberas & defendis à malo & periculo; sicut ostendisti in seruo tuo Daniele, te toto corde diligente: qui coniectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitus liberatus. unde dixit: *Recordatus es mei, Domine, & non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem à malo, & à leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem. Et quia sicut fidelissimus amicus liberas à malo, protegis & defendis, clamat Propheta in persona cuiuslibet te amantes: *Diligam te Domine firmitudo mea. Dominus firmamentum meum, & liberator meus; Deus meus adiutor, & sperabo in*



*sum, Protector meus, & cornu salutis mea, & susceptor meus.*

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, ineffabilis dulcedo amoris: inestimabilis est dilectio tua, quæ semper adjuvat peccatorem, & defendit. Peccat enim miserabilis peccator prava suggestionem & cogitationem; sed tu es diligenti te *fortitudo*, ne cogitatio possit introire. Quod si peccator ultra procedat, scilicet ad delectationem, tu es tunc ei *firmamentum*, ne possit delectatio invalescere. Cum autem peccator ad consensum voluntati laxat habenas, tu Domine illi es *refugium*, ut consensui contradicat. Quando verò defendit peccatum, tu ei *liberator* es, ut ab audacia abhorreat. Si latenter peccare vult, tu illi es *adjutor*, qui ibique præsens es, ne id faciat: sed si patenter, tu es ipsius adversus nequitiam *protector*. Si autem inducatur in consuetudinem, tu es ei *cornu salutis*. Si vero falso seducatur, vel desperatione aut induratione conficiatur, tu ejus, ne desperet, neque induretur, *susceptor* es.

3. Fidelissimus igitur amicus es, Domine, & tua vera amicitia omnem aliam excedit amicitiam. Tu semper diligis, in vita & morte. Tu diligis in prosperitate & adversitate, & etiam magis foelicem mortuum, quam infelicem vivum. Tu Domine plus in immensum amas, quam amaris; & etiam amas, licet non ametis. Tu propter patres amas filios; imo propter unum bonum in civitate vel societate, amas multos malos.



O amantissime Domine Iesu Christe, ego miserrimus & pravissimus peccator omni dilectione vacuus, sed malitia & iniquitate plenus, te, ut debuissim, non dilexi: sed cordurum & vagum habendo, ad diligenda frequenter mihi damnosa & noxia ipsum applicui, quod erigere digneris Domine ad te amandum semper: ut vita mea & gloria mea sit dilectio tua sempiterna, Amen.

## CAPVT XX.

*Quod amor Dei reficit hominem.*

1. **N**on honor, non pecunia, neque aliqua terrena substantia, nec etiam virtus, nec ars aliqua vel scientia, (benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris) potest implere animam, & satiare conscientiam, sed sola & vera dilectio tua. Nam dilectio aut est cum gratia, aut sine: at sine ea non potest esse dilectio vera. Illud autem quod in via potest solum reficere & quietare animas, est gratia, cum qua similiter est dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine, habet te, sicut scriptum est: *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet*: non potest esse pauper, quia Deum habet quem amat. Et quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientia? Qui habet aurum in arca, dives non est: sed qui te habet in conscientia, dives est. Vnde scribitur de te: *In me sunt divitiae & gloria, ut ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

2. O misericordissime Domine Iesu Christe,